

PROCANCELLARIVS
D. AVGVSTVS FRIDERICVS SIGISMVNDVS
GREENIVS
•
• SVPREMAE CVRIAЕ PROV. ET COLLEGII ICTORVM
ASSESSOR SENATVSQVE LIPS. SYND.
ET SENATOR
SOLEMNIA INAVGVRALIA
PRAECLARISSIMI CANDIDATI
IVSTI CHRISTIANI GÜNTZLI
ADVOCATI DRESDENSIS
A. D. XXI, OCTOBR. MDCCXC
PUBLICE CELEBRANDA
INDICIT



*De obligatione Domini iurisdictionis ad praeflanda
facta Actuarii.*

Diss. jur. civ.

200,2

BIBLIOTHECA
SACRA

ANNO 1703

LIBRARY

BIBLIOTHECA
SACRA

ANNO 1703

LIBRARY

Inter eximia praediorum nobilium iura, quae LEYSER Spec. DCLXV. exposuit, *Iurisdictio ita dicta Patrimonialis* haud ultimum occupat locum. Cuius originem cum THOMASIO, HEINECIO, et qui illos sequuntur Iuris Germanici Doctoribus, a pristina dominorum in seruos potestate deriuare merito dubitamus, partim, quia immensus ille mancipiorum Germanicorum numerus, quem aduersae partis fautores supponunt, monumentis historiae plane destituitur, et ex iis, nec non ex legibus antiquis pariter, ac ex Iure Prou. Sax. et Alemanno, potius contrarium apparet, vti Perill. de SELCHOW in Comment. De statu ingenuorum in Germ. Cap. I. §. 8. 9. 10. 20. 21. 22. GRUPPEN in Obseru. quas Disceptat. forens. iunxit Obs. IV. Cap. II. p. 1046. sqq. IOH. LEONH. HAVSCHILD de praesumtione pro libertate naturali in caus. rustic. §. 27. sqq. et in *Eiusdem Juristi* Abhandlungen no. V. VI. VII. VIII. p. 69. sqq. luculenter demonstrarunt, partim, quia potestas dominorum in seruos et medio aeuo ad disciplinam domesticam erat restricta, POTGIESSER de statu servorum Lib. II. Cap. I. L. III. C. VII. STRUBEN de iure villicorum Cap. VII. et posita domini potestate castigandi, iudicis potestas non excluditur. PUFFENDORF de Iurisdict. Germanica P. II. S. III. C. I. §. 225. p. 436. Nobis itaque persuasum est, iurisdictionem patrimonialem, nisi, quod raro accidit, praescriptione sit acquisita, natales suos debere beneficiis Principum, quibus subditos praediorum nobilium

lium ab omni iudicium ordinariorum potestate et ditione exemerunt,
P V F F E N D O R F cit. l. iuncta §. 43. ei. Cap. Certe in nostris terris
 Serenissimos Landgrauios Thuringiae Marchiones Misniae iam Saec.
 XIII. et XIV. eiusmodi exemptiones dedisse, et tam criminalem quam
 ciuilem iurisdictionem concessisse, e pluribus chartis patet, quas exci-
 tarunt **L O C H M A N N** in Diss. inaug. de iurisdict. patrim. §. 6. 8. et
 Consultiss. **B I E N E R** de iurisd. ord. et exempta Cap. II. §. 13.

Et olim quidem praediorum nobilium possessores, quibus con-
 cessa erat iurisdictio, ipsi munere iudicis fungebantur, quippe qui et
 recentioribus legibus, Decis. El. d. a. 1661. 45. nomine iudicis ve-
 niunt. **P H I L I P P I** ad d. Decis. obs. 2. n. 8. **H O M M E L** Rhapsod.
 obs. 167. n. 12. Conuocatis itaque Scabinis et reliquis eorum iuris-
 dictioni subiectis, ex eorum sententia ius dicebant, et reliqua, quae ad
 officium iudicis spectant, peragebant. Super rebus vero ita gestis mi-
 nime acta conficiebantur, sed, si de facultatibus, vel rebus maximis,
 aut etiam dignis, negotium agitabatur, iudex, praesentibus utrisque
 partibus, duo iudicia de re discussa conscribebat, quae, simili textu et
 subscriptione roborata, litigantium partes accipiebant, **L. W I S I G O-**
T H O R V M L. II. T. 24. apud **G E O R G I S C H** p. 1874. aut saltem
 breuibus libro judiciali inferebant. Actuarii persona in hac rerum fa-
 cie, vbi iudices chartas et reliquias scripturas ipsi confidere sole-
 bant, non occurrit. **H A V S C H I L D** Gerichts-Verfassung der Teut-
 schen vom achten bis zum vierzehnten Saeculo §. 17. 18. 19.
 p. 43. sqq. Vnde ad probationem actus judicialis solummodo iudi-
 cis et Scabinorum desiderat testimonium **I u s P r o u . S a x .** L. III.
 A. 88. verb: Quicquid aliquis judicialiter probare debet, Index
 testimonium sub Imperii deponere tenetur fidelitate. Postea Scabini
 hoc idem facient, negotium sub eadem declarantes fidelitate. Nec
 Iure Canonico persona actuarii in negotiis judicialibus de necessitate
 requi-

requiritur, sed INNOCENTIUS III. a. 1216. Cap. II. X. de probat. solummodo exigit, ut iudex semper adhibeat, aut publicam, si potest habere, personam, aut duos viros idoneos, qui fideliter vniuersa iudicij acta conscribant. Duo itaque testes actuarii personam supplant. Cap. 28. X. de testibus.

Sed haec, quae diximus, in sequenti tempore valde sunt immutata. Cum enim maiores nostri, recepto Iure Romano et Canonico, actiones suas, missa pristina simplicitate, secundum leges peregrinas componerent, et illis modum procedendi in iudicio accommodarent, fieri non potuit, quin iudices et scabini, qui antea ex moribus de simplici et plano sententias tulerant, horum receptorum iurium et nouae processus formae ignari, litibus dirigendis et decidendis plane impares essent. Necesse itaque ducti, Vasalli, quibus iurisdictione concessa erat, eius exercitium Notariis, vel Actuariis, qui iuris scientiae nomen dederant, commiserunt. Quia vero hoc non raro neglectum, hinc Ord. Pr. Sax. T. II. §. 2. 3. dispositum est, ut cuilibet iudicio peritus Notarius, qui processum et alia negotia iudicia dirigat, adiungatur, et ille in praesentia subditorum iuramento obstringatur. Quod quidem deinde Decis. El. 38. de a. 1661. ita est declaratum, ut saltem in Criminalibus Notarius, in ciuilibus autem quilibet Actuarius, ad illud iudicium iuratus, sit admittendus.

Ne autem hac lege Domino Iurisdictionis ex sua persona omne eius exercitium videatur ademtum, ipsi prospexit summus Llator *Decis.* 39. cuius verba cum iustos limites hac in re ponant, integra inserere liceat: Wir lassen geschehen, dass wenn einer von Adel, oder anderer Gerichts-Herr, das Gerichte mit ehrlichen, aufrichtigen, unbescholtenen, untadelhaften, und nach jeden Orts Gelegenheit qualifizirten, auch dazu sonderlich vereydeten, Personen besetzt, und selbst den Gerichts-Sachen vorstehen, und selbige dirigiren wollte, wenn er

im übrigen den Rechten gemäss verfähret, und die Sachen nur Käuffe, Verschreibung, Erbtheilung, Vormundschaftsbestätigung, gütliche Vergleich, und andere dergleichen Sachen, so nicht in *contradictorio* beruhen, sondern *actus voluntariae iurisdictionis* seyn, auch den Gerichts-Herrn nicht eigenthümlich betreffen, ihm solches unverwehret, auch, obgleich kein *Actuarius iuratus* dabey vorhanden, dennoch die Handlungen vor beständig erkannt werden sollen; Jedoch mit diesem ausdrücklichen Bedinge, dass der Gerichts-Herr die gerichtliche Handlungen, wie sie vor ihm ergangen, ohne einige Partheylichkeit, und seinem Gewissen und Pflichten, damit er Gott und Uns verwandt, gemäss, zu den Gerichts-Büchern eigenhändig registrire, oder die Registratur unterschreibe, welches Wir doch allein von ob erzählten Sachen verstanden haben wollen; Was aber die Aufrichtung der gerichtlichen Donationen, oder letzten Willen, betrifft, wie auch die Sachen, so im Process, oder sonst *Iurisdictionis contentiosae* seyn; Dieses soll allein durch den geschworenen Gerichts-*Actuarium* expediret und registriert werden. *Quae legis dispositio Ord. Rec. ad Tit. II. §. 5. in fine denuo est approbata.*

Licet autem hac Decisione in ultimis voluntatibus persona *Actuarii* de necessitate requiratur, hoc tamen eo casu cessat, si testator in praesenti mortis periculo est constitutus, et Iudex (*Dominus Iurisdictionis*) *Actuarii* copiam tam cito habere nequit, et super hoc periculo judicialiter attestatur, tunc enim valet testamentum, coram personis judicialibus, sculteto, et scabinis, quibus eiusmodi *actus* a *Dominus Iurisdictionis* vel in specie, vel in genere, est comissus, quod posterius absente *Dominus* praesumitur, conditum. *Decis. El. 45. et 73.* ibique **PHILIPPI, HOMMEL** Rhapsod. Obf. 167. Qua ratione ductus, Ordo noster hoc anno iustum censuit testamentum, coram *Dominus Iurisdictionis* et duobus scabinis confectum, quorum ille, iudex, de instanti mortis periculo erat testatus.

Cuna

Cum itaque praediorum nobilium possessores iurisdictionem non ipsi, sed per Actuarios, siue ita dictos Iustitiarios, administrent, quæstio oritur:

Quatenus ex eorum factis obligentur?

Omnis autem obligatio vel ex facto licto, vel illicito, oritur. Primo igitur de illo videamus.

Dominum autem iurisdictionis facto Actuarii licto teneri, ex natura contractus mandati fluit, quem celebrarunt, dum ille, qui administrationem commisit, mandantis, Actuarius vero mandatarii partes sustinet. Quamuis enim Iure Romano mandanti regulariter actio per procuratorem non quaerebatur, etiamsi hic non sibi, sed domino, fuerit stipulatus, §. 5. Inst. per quas person. cuique aequir. l. 38. §. 17. D. d. V. O. ideoque cessione opus erat l. 8. §. 5. l. 43. l. 45. pr. D. mandati. Germani tamen has iuris ciuilis subtilitates non agnoverunt, et nostris moribus tertio, multo magis ergo mandanti, per procuratorem, ius et actio site acquiritur. Pari modo, vi contrarium mandantem ex contractu procuratoris haud dubie tenet actio. Nam enim Jure Rom. ad exemplum actionis institoriae atque exercitoriae inualuit, quasi institoriam, siue utilem, dari. l. 10. §. 5. D. mandati. l. 5. §. 8. l. 19. de institor. act. l. 1. l. pen. C. eod. l. 13. §. 25. de act. eint. Actuarius vero iudicij non suo, sed domini, qui eum praeposuit, nomine agit, exerceatque iurisdictionem, non sibi, sed praedio nobili, eiusque possessori, concessam. Non itaque sibi, sed vasallo, seruat et acquirit iura, v. c. laudemii, detractus etc. et actiones inde orientes, per suam rei alienae administrationem. Quis itaque contra iuris et aequitatis principia sibi persuaderet, Actuarii facta prodesse quidem Domino, non autem eundem tertio obligare?

Omnino

Omnino ille, cui pecunia, iudicialiter deposita, ipsique debita, ab Actuario non soluitur, non modo contra hunc, sed et contra Dominum, agere potest, tanquam mandantem. Neque hic excipere valet, Iustitiario hoc vel illud negotium haud esse commissum, sed ipsi vasallo reseruatum. Actarius enim, cui nostris moribus vniuersa rei iudicariae cura est demandata, ad peragenda cuncta est legitimatus. Licet ergo potestas eius pacto sit restricta, hoc tertio, qui bona fide cum Actuario contrahit, non obest, cum mandatum per secretam Instructionem restringi nequeat. HERTIVS Diss. de obligatione mandantis et mandatarii contemplatu tertii §. II. in Ej. Opusc. Vol. I. T. III. p. 155. LEYSER Sp. 178. med. 5.

Quid autem si dolum vel culpam commiserit in officio Iustitiarius? Multi Dd ex eorum factis illicitis tunc demum obligatum esse Dominum censem, si haud idoneos constituerit officiales, vel iis nimium indulserit. STRYCK de obligatione Principis ex facto ministr. C. 3. n. 74. s. HERTIVS Vol. I. Resp. 53. n. 9. KRESS de iure officiorum et officialium p. 93. FESCHIVS de factis officialium, quatenus dominus teneatur C. 4. n. 15. C. 5. n. 14. LEYSER, qui priorem mutauit sententiam, Spec. 680. med. 32. 33.

Nobis autem, si non de poenis irrogandis, sed de obligatione ciiali, quaeritur, contrarium verius, et quaestio iterum ex natura contractus mandati decidenda videtur. In hoc enim, si mandatarius pecuniam, vel aliam rem, ex voluntate mandantis acceptam, non recte expendat, mandans nihilominus tenetur. l. 31. D. d. procurat. l. 1. §. 9. l. fin. de exercit act. Idem obtinet, si in re sibi mandata dolum admittat l. 10. C. de procurat. l. 7. §. pen. de dolo malo l. 8. §. 1. mandati l. 11. §. 5. d. institutor. act. Vnde, si proxeneta vel procurator rem maioris pretii pro quadraginta uncialibus pignori dandam accepit,

accepit, et ille centum mutuo sumvit, in centum pignus subsistit.
CARPZ. Dec. 130. **BRUNNEMANN** ad l. 2. D. de proxenet. **HER-**
TIVS cit. **Diss.** de oblig. mand. §. 11. Et si rem altius perspeditimus,
ipsa ratio postulat, ut Dominus ex facto Iustitiarii teneatur, quamvis
hic dolum vel culpam admiserit. Qui enim in iudicio soluit, vel pe-
cuniam deponit, non Actuario, aut Scabinis, quorum saepe nomina,
plerumque facultates, ipsi plane ignotae sunt, sed iudicio, et praedio,
cui colhaeret, eiusque domino, fidem habet, et cum hoc reuera con-
trahit, itaque, ut ab eodem iudicio eiusque domino ipsi satisfiat, et pe-
cunia deposita tandem restituatur, vel, ut ita facta solutione liberetur,
et debitum extinguatur, iure suo postulat. **Profecto**, si Dominus iu-
risdictionis tunc deinum cum doli vel culpare particeps esset, ad praes-
tanda facta eius, quem praeposuit, foret obstrictus, omnis fides iu-
dicialis, qua salus subditorum, et reipublicae, potissimum innititur,
subuerteretur, et qui coactus in iudicio soluit aut depositus, plerum-
que inani actione contra Actuarium experiretur.

Nec sententia nostra legibus est destituta. Est enim hoc generale,
ut in officio publico constitutus, si quem sibi subadministratorem con-
stituit, ex huius dolo et negligentia teneatur. a. l. 30. D. de negot.
gest. ibique **GODOFRED.** not. e. qui ad dicterium prouocat: maître
est respondent de son commis. **LEYSER.** Sp. 343. m. 3. Id autem
non solum de priuata substitutione, verum et de ea, qua persona, cui
subadministratio committitur, sit persona publica, est accipiendum, quod
patet ex l. 60. et 64. C. de decurion. l. 21. C. de episc. in quibus illi,
qui, curiae obnoxii, honorario titulo illustrem dignitatem consecuti
sunt, *per substitutos periculo suarum facultatum curiae muneribus fa-*
tisfacere permittitur. Quae quidem leges hanc controuersiam omni-
no decidunt. Ut enim in illis personae illustres publica munera curiae
substitutis demandabant, ita Vasalli nostri, qui iurisdictionem, ipsis
concess.

concessam, Iustitiariis siue Actuariis committunt, idem faciunt; quare et nostro casu ista legum dispositio, qua hoc non nisi *periculo suarum Facultatum* fieri debet, quaque ad praestanda facta et neglecta substitutorum obligantur, locum inueniat, necesse est. Et hanc sententiam tuerintur RIVIN. Tit. 45. Enunc. 18. ENGAV P. I. Decis. 206. LEYSER Sp. 343. med. 3. qui tamen deinde eam mutauit Spec. 680. m. 32. 33. STRUBEN Rechtl. Bedencken Th. 2. Bed. 85. §. 2. SELCHOW Elem. Iur. Germ. L. I. C. 4. S. 2. T. 8. §. 291. HOMMEL Rhapsod. obf. 353.

Sed aliud dubium inde nascitur, an scilicet Dni Iurisdictionis principaliter, an vero demum excussis actuariis siue iustitiariis, teneantur? Et posteriori Sententiae fauere videtur l. 1. §. 9. d. de magistratibus conueniendis, qua dispositum si inter magistratus hoc conuenerit, ut alterius tantum periculo tutores darentur, is, qui *hoc suscepit*, prius sit conueniendus. Sed vereor, ut haec lex ad nostram speciem trahi possit. Agit enim de duumviris, quorum uterque magistratus municipalis publicus erat constitutus, et proprio, non alterius nomine, munere suo fungebatur. Ab his autem conditio eorum, qui iurisdictionem vasallorum administrant, plane differt. Sunt quidem iudices et actuarii, sed substituti, qui, ut mandatarii et procuratores, Dnorum locum solummodo tenent, cum iis ex natura contractus mandati pro una persona habentur, et ab iis institui et dimitti possunt. Verum itaque duco, Domino, qui ipse, non Respublica, singularem illorum elegit industriam, et qui *periculo suarum Facultatum* eos substituit, excussionis beneficio, quod magistratibus datum est, non competere.

Facta autem Iustitiarii non solum eum, qui praeposuit, sed et quolibet in praedio nobili successores, tenere mihi videntur, cum iudicium sit vniuersitas, quae non moritur, cuius itaque iura et obligations

tiones ad quenquam praedii nobilis transeunt possessorem, eo esse
et, ut, si iudicium sit condemnatum, executio iure decernatur, licet
nihil ad praesentem vasallum peruerterit. HOMMEL d. obs. 350.

Quare, cum possessor seudi quidam, mutuum contrahens, directorem iudicij eo induxisset, ut falsa registratura testaretur, simultaneo investitos comparuisse, chirographum subscrisisse, et recognouisse, hinde, vasallo improle mortuo, in feudum succedentes, merito dubitarunt, proprii nunc iudicij turpitudinem detegere, quippe qua re ipsi non fuissent liberati, quia ipsi, iam domini eiusdem iudicij, potius creditoribus ad euictionem essent obstricti, et ita eis obstareret notissima regula: Quem de euictione tenet actio, eum agentem repellit exceptio. Pari modo, cum poligraphus ciuitatis N. superiori saeculo senatus nomine literas reuersales, sigillo publico munitas, versus M. dedisset, quibus detractioni gabellae renunciasset, Collegium nostrum negauit, senatui N. ius detractionis intuitu haereditatis, in urbem M. transferendae, competere, licet ille obuerteret, reuersales istas sine praescitu maiorum suorum datas fuisse. Neque vasallus ab obligatione, quam eiusmodi reuersales, ab administratore iudicij olim datae, inducunt, per pacta, cum subditis postea sancita, quibus fortassis census emigrationis introductus vel auctus, se liberare potest, cum hac re inter alios acta magistratui tertio ius per reuersales quæsitum detrahi nequeat.

b 2

Sed

Sed indicenda nunc sunt solemnia inauguralia
CANDIDATI PRAECLARISSIMI

IVSTI CHRISTIANI GÜNTZII

ADVOCATI DRESDENSIS

qui sua de vita, laudabiliter adhuc acta, ipse his verbis exposuit:

Natus sum Dresdae, anno huius saeculi quinquagesimo secundo, patre Iusto Friderico Güntzio, quatuordecim abhinc annis beate defuncto, cuius fides, studium et peritia in summis serenissimi Electoris penetralibus tantum habuit gratiae, ut, Ipsiis a secretis epistolis, ad arcanam gubernandae patriae proprius admitteretur, matre Johanna Christiana ex gente Geigeria, adhuc superflite. Parentes hi dilectissimi a primis vitae meae temporibus doctrinae praceptorum domesticorum me tradiderunt, usque dum Afraneum anno huius saeculi sexagesimo quinto me recepit, in quo liberalis disciplinae domicilio per sexennium, uti statuta volunt, commoratus sum. Anno huius saeculi septuagesimo primo Lipsiam petii, ubi in numerum ciuum academicorum a Magnifice Plazio, tunc fasces Academiae gerente, relatus, primum praelectionibus philosophicis Snydlitzii interfui, et Sammetium, historiam iuris, ius naturae, et Institutiones explicantem, adii, tunc historiam uniuersalem, historiam Imperii et patriae docentes, Eruestium, Boehmum et Wenckium audiui, porro digesta et hermeneuticam iuris Einertus, cuius quoque scholas examinatorias et disputatorias maxima cum voluptate et utilitate frequentauit, me docuit, ius publicum ex Schotti et Franckii, ius criminalis ex Püttmanni, ius feudale ex Rauii, ius Canonicum ex Hommelii ore percepi, in explicandis processus iudicarii principiis duces habui Io. Tob. Richterum atque Zolle-

LeO

Zollerum, tandem artem relatoriam hic, et praesertim Hommielius, solide
 mihi et egregie exposuerunt. Sub praefidio excellentissimi Einerti postea
 theses iuris controversi publice defendi, examini pro praxi me subieci, et
 ita per quadriennium studiis academicis imbutus, anno saeculi septuagesi-
 mo quinto in patriam urbem redii, ibique, venia causas in foro agendi
 eodem adhuc anno mihi concessa, per tria lustra et quod excurrerit causarum
 patrocinii fauente Dco feliciter operam nauui, nec non iustitiam, variis
 in locis mihi demandatam, pro viribus administrari. Nunc Lipsiam denuo
 reuersus, ab Illustri Iureconsultorum Ordine binis tentaminibus consuetis
 summos in iure honores decentissime petii, et huius petiti implementum et
 fata mea in posterum Deo Optimo Maximo commendo.

Huic desiderio Doctissimi Candidati, qui in utroque superato ex-
 amine egregie se praesit, et uanitatem omnium plausum tulit, deesse
 Collegium noluit. Quapropter proximo die Mercurii hora a meridie
 II. I. XXII. C. de iure deliber. et de audeunda vel adquirenda heredit. ex-
 ponet, mox autem d. XXI. Octobr. hora IX. eodem loco, Praeside Viro
 Illustri atque Excellentissimo, Dno D. IOSIA LUDOVICO ERNE-
 STO PÜTTMANNO, Codicis Professore Publ. Ord. Academiae De-
 cemviro, Collegii ICto um Assessore, autore honoratissimo, disserta-
 tionem, Selecta e iure vario capita inscriptam, defendet, quo facto Il-
 lustris et Excellentissimus Dn. D. CHRISTIANVS RAV, Supremae
 Curiae Prouinc. et Collegii nostri Assessor, Institutionum Prof. P. O.
 cuius benevolentiam et amicitiam plurimi facio, cui ex eiusdem Ordini
 decreto promotoris munus delegau, summos in utroque iure hono-
 res, cum omnibus priuilegiis atque iuribus, huic dignitati adnexis, sola
 spe, ad sessionem in Collegio nostro adspirandi excepta, ipsi tribuet at-
 que concedet.

Quam solemnitatem ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICUS, PRINCIPES CELSISIMI, ILLVSTRISSIMI COMITES, PROCERES VTRIVSQUE REIPUBLICAE GRAVISSIMI, GENEROSSISSIMI denique AC NOBILISSIMI COMITITONES, praeSENTIA sua horifica splendidiorem reddere velint, obseruantissime rogo.

Scribbam Lipsiae a. d. XVII. Octobr. MDCCXC.



Diss. für. Rio. 26, 2